

& spatiösam, & omnium rerum copia refertam
vestræ mandant ditioni parere. Sub Romanorum
rum hactenus clientela, ac tutela liberaliter vi-
ximus: post Romanos vobis meliores ignoramus:
ideo sib⁹ vestræ virtutis alas fugere quærimus.
Vestra virtute, vestris armis hostibus tantum su-
periores inveniamur, & quicquid imponitis ser-
vitii libenter sustinemus. Patres ad hæc pauca respon-
dent, certos amicos Brettis Saxones sciat, & eo-
rum necessitatibus, atque commodis æque sem-
per affuturos. Legati lati redierunt in patriam, exopta-
to nuntio socios letiores reddentes. Deinde promissus in Bri-
tanniam mittitur exercitus, & grataanter ab amicis sus-
ceptus, in brevi liberat regionem à latronibus, restituens
patriam incolis. Neque enim in id agendo multum laboris
fuit: quippe qui jam olim audit a fama Saxonum perculsi
terrebantur, dummodo presentia eorum procul pelluntur.
Erant enim he gentes Brettis adversæ, Scoti, * Pehiti: ad-
versus quos militantes Saxones accipiebant à Brettis omnia
ad usum necessaria. Manserunt itaque in illa regione ali-
quanto tempore, vicaria Brettorum bene usi amicitia. Ut
autem viderunt principes exercitus terram latam, ac fer-
tilem, & incolarum manus ad bellandum pigras, se vero ac
maximam partem Saxonum sine certis sedibus, mittunt ad
vocandum majorem exercitum, & pace cum Scotis, &
Pehitis firmata, in commune contra Brettos conjungunt,
eosque regione propellunt, sue ditioni regionem distribuunt.
Hæc Witichindus.

SAXONVM, & aliarum gentium, originem, &
etymon non solum monachi eruditæ antiquitatis
ignari, verum etiam recentiores limatuli judicij
homines commentitiis fabellis involverunt, Alii
à Saxone Negnonis filio, & Vandali fratre, alii à
saxea natura, alii à Macedonici exercitus reli-
quiis, alii à cultellis, unde rhythmus est apud En-
gelhusium,

*Quippe brevis gladius apud illos Saxe vocatur,
Vnde sibi Saxe nomen traxisse putatur.*

Crantzus autem à Cattis Germaniæ, & eruditus
ille Capnio à Phrygibus deducit. Ex his quisque
quod placeat, sequatur. Hujusmodi enim opini-
tionum commenta non ego convellam. Ample-
ctenda tamen, ut potior, videatur illa Germano-
rum eruditissimorum qui Saxones à Sacis præ-
stantissimo Asia populo ortos, & sic dictos quasi
Sacafones, id est Sacarum filii, & è Scythia, sive Sar-
matia Asiatica, cum Getis, Suevis, Dacis, & aliis
paulatim se in Europam effudisse opinantur. Nec
ratione caret hæc eorum opinio quæ Saxones ex
Asia deducit, in qua ortum, & multiplicatum
genus humanum. Nam præterquam quod Stra-
bo scripsit, Sacas illos, ut antea Cimerii, longin-
quas invasiones fecisse, & Armeniæ partem de
suo nomine Sacacenam dixisse: etiam Sassones, Sue-
vos, Massagetas, Dahos in illa Scythia parte col-
locat Ptolemæus, & observat Cisnerus, has gen-
tes eandem prope in Europa conservasse vicini-
tatem, quæ ipsis olim inter se in Asia fuerat.

Nec minus probabile est, Saxones nostros ab
his vel Sacis, vel Sassenibus Asiar venisse, quam
Germanos à Germanis Persiæ, quorum meminit
Herodotus, quod ipsi tamen ex lingue affinitate
quodammodo asseverant, Nam Fader, Muder,
Brader, Turchter, Band, & similia in Persica lingua
hodie reperi, pro patre, matre, fratre, filia,
vinculo, docet singulari eruditione Iosephus
Britannia.

Saxones à
Saciis Asia.

Lib. II
Melan-
etho.
Cisnerus.

Michael
Neander.

Scaliger. Cæterum cum Saxones primum orbi
innotuerunt, in Cimbrica Chersoneso, quæ
nunc Denmarke, agitarunt, ubi Ptolemæus illos
statuit, qui primus eorum mentionem fecit. Nec
Saxones, ut habent nonnulli libri, sed Axones
apud Lucanum verius legitur in illo versu,

*Axones
Gallie
populi.*

Longisque leves Axones in armis.

Ex hac Cimbrica Chersoneso, Dioclesiani tem-
pore cum vicinis suis Francis littora nostra infe-
cta habuerunt, illisque propulsandis Caraesium
præfecerunt Romani. Postea Albim fluvium
transvecti, partim in Suevorum sedes paulatim
concesserunt, ubi nunc Saxonæ Ducatus, par-
tim in Frisiæ & Bataviam jam à Francis dereli-
ctam se receperunt. Franci enim qui prius peni-
tissimas illas Frisiæ paludes (quarum nonnullæ
eluvionibus in mare illud quod Zuider-fee, hodie
appellant, abierunt) insederant, & Bataviam oc-
cuparant, sub Constantio Chloro, Constantino
Maximo, ejusque filiis in leges recepti, & ad de-
serta Galliarum colenda translati, vel ferro sibi
in ubiores regiones viam aperientes, vel, ut
Zosimus tradit, à Saxonibus pulsi Batavia cesse-
runt. Iam inde omnes accolæ oræ illius maritimæ
in Germania qui Piraticam exercuerunt, ut ante
in Francorum, ita nunc in SAXONVM no-
men coaluerunt. Illi scilicet populi qui Iutiam,
Sleswicum, Holsatiam, Ditmarsiam, Episcopatum
Bremensem, Comitatum Oldenburgensem, Fri-
siam utramque & Hollandiam inhabitarunt.
Gens enim Saxonum, ut scribit Fabius Quæstor

*Ethelwer-
dus
Abnepos
Adolfi
Regis flo-
ruit circa*

toto erat maritima à Rheno flumine usque ad Doniam ur-
bem quæ nunc vulgo Dane-marc nuncupatur. Quem au-
thorem, ut agnoscam per quem profeci V. Cl. 950.
Thomas Allen Oxoniensis plurimis & optimis
artibus ornatus primus eruit, & mihi cum
multis aliis pro sua humanitate impertivit.

Ex hac ora Saxones crebris Romanorum fu-
neribus pasti, sæpenumero in Romanorum pro-
vincias irruperunt, & hanc insulam diu infesta-
runt, donec ipse Hengistus adveniret. Quem ex
Batavia, sive Hollandia in Britanniam soluisse, &
arcem illam Lugduni Batavorum, sive Leidæ



construxisse testantur Batavorum annales, & no-
bilis ille illustri ingenio, & doctrina Janus Douſa,
qui canit, de Burgo, sive arce illa:
*Quem circinato menium ut ambitu,
Sic arcuatis fornicibus novum
Putatur Hengistus Britanno
Orbe redux posuisse victor.*

IUTAS, quos à Guttis, Getis, sive Gothis dictos
multi arbitrantur (Geatum enim in M. S. codice
legitur) superiorum Cimbricæ Chersonesi par-
tem incoluisse certum est, quæ etiamnum Danis
Iutland dicitur, à Guttis, quos in Scandia colloca-
vit Ptolemæus, forte prognati, quorum sedes
hodie Gotlandia dicta. Quam tamen cave putas
cum Iornande fuisse patriam Gothorum qui Eu-
ropam victoriis sunt permensi; illos enim ultra
Istrum ad pontum Euxinum incoluisse, Getasque
prius dictos fuisse vetustissimi & fide dignissimi
quique scriptores prodiderunt.

Quas vero sedes Angli habuerunt, controver-
sum est, nec una sunt omnes opinione. Plurimi
in Westphalia ponunt, ubi Engern visitur, & Suevi-

Inte.

*Spartianus
Tribellinus
Pollio Ca-
piolinus
etc.*

Angli.

Q Angli